



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Novæ Observationes Et Additiones Ad A. R. P. D.  
Bartholomæi Gavanti Congreg. Cleric. Regul. S. Pauli ac  
Sac. Rit. Congregat. Consultoris Commentaria In Rubricas  
Missalis Et Breviarii Romani**

Adiectis Summorum Pontificum & Sac. Rit. Congreg. Decretis usque ad  
præsens emanatis

Complectens omnia Gavanti Commentaria in Rubricas Breviarii - Cum  
Indicibus Decretorum, Rerum atque Verborum notabilium

**Merati, Gaetano Maria**

**Augustæ Vindelicorum, 1740**

**VD18 10783695-002**

De Cæremoniis in privata Horarum Canonicarum recitatione I.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39775**

## SECTIO DECIMA.

### DE CEREMONIIS AD HORAS CANONICAS ADHIBENDIS.

**Cap. I. De Ceremoniis in privata Horarum Canonicularum recitatione  
caret novis Observat. & Additionibus.**

#### Novæ Observationes, & Additiones ad Gayanti

**Cap. II. De Ceremoniis Horarum Canonicularum in Choro recitandarum.**

Gavant. pag. 160. col. 1. n. 8 -- Genuflexit etiam in Choro ad ea, de quibus diximus superiori cap. n. 4. &c.) De ceremoniis, quæ præstari debent, dum recitantur Horæ Canonice in Choro, cùm unaquaque Ecclesia habeat proprios mores, & laudabiles consuetudines, pauca adjicere ad Gayanti Commentaria locus erit. Præfatus Autòr cap. præcedenti num. 4. dixit genuflexendum esse in Hymnis, dum proferuntur ea verba: *Veni Creator Spiritus, Ave Maris Stella, &c.* De genuflexione præstanda in proferendis primis illis verbis: *Veni Creator Spiritus satis locuti sumus in nostris Observationibus ad c. 18. Sæc. 6.* in quo discurrit Gayantus de Festo Pentecostes; unde vide ea, que ibi tradita sunt. Genuflexendum pariter est in Choro, dum intonatur Hymnus B. V. *Ave Maris Stella;* oritur tamen dubium, utrum Festis solam diebus, an totius anni Sabbatis, Feriisque sit decantandus cum genuflexione præfatus Hymnus, & quandonam peracta genuflexione sit surgendum? Boverius in Ceremoniali P.P. Cappuccinorum lib. I. cap. 16. genuflexionem præscribit in omnibus Festis B. V. cùm dicitur *Ave Maris Stella, &c.* per quatuor versus priores, non autem in Officio parvo, & Sabbati. Verum Gayantus, necnon Paris de Crassis lib. I. cap. 17. Castaldus in nostro Ceremoniali lib. 2. cap. 4.

*Gavant. Rubr. Brev.*

num. 16. Bauldry part. 2. cap. 3. n. 2. Fantoni in Ceremoniali Carmelitarum lib. I. Rub. 19. n. 4. & alii Autores aliorum Ceremonialium diligenter allegati à nostro Francisco Magio de Divino Officio, & Choro disquisit. 36. prædictam genuflexionem toties præscribunt, quoties hoc Hymno Deipara salutatur, nullo prorsus excepto tempore. Major igitur difficultas est, quandonam peracta genuflexione surgendum sit? Gayantus supra loc. cit. Ordinarium Carthusiense cap. 14. num. 46. & 49. & alii ad Hymni initium genuflexionem præscribunt, sed de surrectione non loquuntur. Laudatus noster Castaldus loc. cit. dicit, quod genuflexendum est, donec quatuor primi versus dicuntur, cap. vero 21. n. 9. hæc habet: *Celebrans cantat Capitulum, & principium Hymni, quod si Hymnus sit: Ave Maris Stella, sive Veni Creator Spiritus, postquam illud intonavit, genuflexit, alii verò omnes, exceptis Ceroferariis, à principio genuflexunt, siveque permanent omnes donec compleatur totus primus versus, quo completo, surgentibus omnibus, ipse quoque surgit.* Hæc Castaldus, qui ibi loquitur de Hymno sollempniter decantato, & nomine primi versus evidenter constat, intelligere primam Hymni strophem. Iisdem verbis utuntur etiam Totinius lib. I. cap. 14. n. 9. ubi ait: *usque ad finem primi versus; sed paucis interjectis, ait: usque ad finem*

A a a

nem

